

391
8

I. N. D. E. D. N. 7. C.

SECURITAS DOCTRINÆ
REFORMATÆ RELIGIONIS

DE

MAGISTRATU
POLITICO,

CONSENSU

MAXIME REVERENDÆ

FACULTATIS THEOLOGICÆ

In

UNIVERSITATE FRANCOFURTANA

exhibita

PRÆSIDE

JOH. CHRISTOPH. BECMANO,

S.S. THEOL. D. ET PROF. PUBL. ORD.

DNO. PATRONO AC PRÆCEPTORE SVO ÆTATEM
VENERANDO,

à

RESPONDENTE

CLEMENTE BERG,

SOLINGA-MONTANO.

IN AUDITORIO MAJORI

Ad D. VI. Maj. A. MDC XG.

Francofurti, Typis Christophori Zeitleri.

W.

a. VII. 59.

Coll. diss. A
7, 59

8

SECRETIS DOCTRINE
 REFORMATE RELIGIONIS
 MAGISTRI RAYTU
 POLITICO
 FACULTATIS THEOLOGICAE
 UNIVERSITATIS HAMBURGIANAE
 IOH. CHRISTOPH. BEGMANN
 DE THEOLOG. ET PROF. PUBL. ORD.
 CLEMENS BERG
 IN PAPHOS MAIORI
 AD. AN. 1700

Tractatus Typographici



1700



Questiones de gravitate & utilitate Doctrinarum sacrarum variè hætenus exercere cœperunt Doctorum subsellia & Christianorum animos: Nam veritas licet Comitum individuum habeat bonitatem, verum quoque nihil esse possit, nisi idem bonum sit, posteriori tamen habitu nunc ferè incedunt, nec adeo disputatur an verum aliquid sit, sed an bonum; an intersit Ecclesiæ, an Reip., an vinculum injiciat hominum animis? Id nim. est quod inter tot scienda & agenda maximè expendi oportere judicatur. *Ut concedas omnia eos fide bonâ dicere, ut ad præstationem scribant: tamen cujus ista errores minuent? cujus cupiditates prement? quem fortio rem, quem justio rem, quem liberalio rem facient?* Dixit de sui temporis scriptoribus & quid publicè expediat scribi indigitavit *Seneca de Brev. vit. c. XIV. Dic quid natura necessarium fecerit, quid supervacuum, quàm faciles leges posuerit, quàm jucunda sit vita, quàm expedita, illas sequentibus; quàm acerba & implicita eorum, qui plus opinioni quam naturæ crediderunt.* Id *Ep. XLVIII.* Hæc itaque cum & Doctrinam Reformatæ Religionis de Magistratu tangere cœperint, dicaq; eo nomine ipsi ante annos aliquot scripta, non ita pridem renovata fuerit, quasi aut securi, aut certi nihil hac de re contineret, faciendum autumavimus ut præsentis lineas duceremus, productaq; verâ ejus sententiâ id præpostere ipsi objectum, vanaque impotentiorum animorum conamina tantum esse ostenderemus: Non animo litigandi, sed litem temere adversus innoxios motam tantum depellendi; Neque aliis argumentis quàm in rem præsentem adductis Confessionum,

num,

num, celebriorumq; virorū Religionis Reformatæ verbis: Nullis verborum lenociniis, nec emendicato favore opus erit. Ipsi pro se loquentur Viri optimi, vereq; comprobabunt, quod de viris bonis suorum temporum Seneca dixit: *Nullius ex his Sermo periculosus erit, nullius amicitia capitalis, nullius sumptuosa observatio: Imo nemo non venientem ad se beatiorē, amantiorēq; sui dimittat.* Si quid etiam favoris tanquam rei præ actoribus ex communi jure habent, favorem eo majorem merebuntur, quia non tantum rei, sed innocenter accusati.

CAPUT I. VERÆ DOCTRINÆ PROPOSITIO.

I. Quid *Magistratus* nomine intelligendum. II. *Magistratus Inferioris* specialis acceptio. III. Finis præsentis instituti. IV. Rationes cognoscendi *Doctrinam* Reformatorum; cur non ex *privatis scriptis* judicari possit: V. Definitio *Magistratus*. VI. De Necesitate & usu *Magistratus*. VII. Eundem à Deo approbati. VIII. Adeoque bona conscientia geri posse. IX. Potestatem illam quoque à Deo institutam esse. X. Et quidem *immediatè*. XI. Ac proinde etiam *Juris Naturæ* ac *Juris Divini Moralis*. XII. Quo sensu *immedietas* illa capienda. XIII. Quo sensu *humana ordinatio* dicatur. XIV. *Homines* tantum *instrumenta* esse constituendi *Magistratus*. XV. *Jura* *Magistratus*. XVI. Eademq; *infidelibus* & *impiis* *Magistratibus* debita. XVII. Et quidem *propter conscientiam*. XVIII. Et in omnibus. XIX. Excipienda tantum *manifesto injusta* & *impia*. XX. Nunquam tamen *maledicendum* ipsis. XXI. Minime omnium *resistendum*. XXII. Et ne quidem in *atroci injuria*. XXIII. Idq; in *absolutis principibus*. XXIV. Cæterum sine singulari respectu formæ unius præaltera. XXV. Quid de *Juribus Regnorum Limitatorum*. XXVI. Quid de *varietate Jurium in Ecclesiasticis*. XXVII. De *Jure puniendi Hereticos*.

CAP



CAPUT I.

I.

Magistratus nomine de quo hic dicere institui-
 mus, intelligimus generaliter quamvis *δύναμιν*
ὑπερέχουσαν, potestatem supereminentem, de qua
 Rom. XIII, 1. & 1. Petr. II, 13. 14. Adeoque (1) ipsam
 summam potestatem in Republ. quacunq; forma
 externa sustentetur, unius, plurium, an totius po-
 puli regimine. (2) Quos *Magistratus Inferiores* vocare solent,
 h. potestatem ordinariam ex Lege à Majestate concessa ad
 gerendas res reipublicæ, uti *Arniseus* olim noster loquitur
Doctr. Pol. c. 15. 1. vel ut clarius forsan ex ipso Aristotele, quem
 hanc in rem citare solent, dicemus, ὅσαις ἀποδέδοται βουλευ-
 σαθαί τε καὶ τινῶν, καὶ κρῖναι, καὶ ἰπιντάξαι, quibus de aliquibus
 rebus consultandi, & judicandi, & imperandi, & quidem hujus rei
 maxime munus assignatum est. *Polit. IV. c. XV.* Duces a Rege
 missos vocat Petrus 1. *Ep. II, 15.* Unde & inter Jura Summarum
 potestatum *Jus Magistratus constituendi* collocatum, de quo
 inter recentiores videndus *B. Dn. Ziegler. de Jur. Maj. Lib. 1. cap.*
XIX. & quotquot alias locum de Magistratu in Politicis tra-
 ctant.

II.

Illud tantum addendum, *Magistratus Inferioris* nomine
 superiori seculo etiam indigitatos *Regnorum præsertim limita-*
torum Ordines, quos & non puros subditos, sed in societatem re-
 giminis ascitos dixere: Qua significatione Scriptores passim usi
 fuere in *Q. de Casibus resistendi Principibus, V. Nic. Hemmingi-*
um in Ps. 84. Job. Gerhard. Bedencken von der Nothwehr. Balduin.
in Rom. 13. q. 3. E nostris Pareum in Rom. 13. Polanum Synt. L. 10.
c. 62. & c. Adde Jctos & Politicos magno numero ap Hortled. de B.

A

Smalc.

Smalc. P.I.L. II. tot. Censuerunt enim, Privatis quidem nullo modo, at Magistratibus Inferioribus h. Ordinibus Jus esse resistendi injuriis ejus, cujus summum est imperium. Quam sententiam Grotius rectè quidem refellit *J. B. I. IV. §. 6.* & post eum Commentatores Grotiani *adh. l. Zieglerus Hennig. f. 277.* & alii. Sed nisi fallimur male intellectam; Opponunt enim rationes suas Magistratibus Inferioribus illis, qui Reip. res ex potestate à Majestate concessa gerunt, ut Consules, Proconsules, de his enim omninò verum est quod Grotius dicit, Magistratus illos inferiorum ratione habita esse publicas personas; at superiores si considerentur, privatos esse. Cum Quæstio sit *de Magistratibus Inferioribus posteriori sensu*, h. e. Ordinibus Regnorum, quales Ordines Regni Poloniæ, Parlamenta Angliæ, quos nulla ex rationibus quæ tota thesi sua Grotius affert tangit. Sed de his singulariter dicendi occasio infra pluribus dabitur.

III.

Securitatem Doctrinæ Reformatæ Religionis de Magistratu profitemur nos tradituros, non quod ἐξαιρέτων quoddam ipsi tribuere velimus, aut Triumphos quosdam eo nomine meditemur. Nam licet laudi sit sanam de Nobili hac materia sententiam fovere; Veræ Religionis quoque proprium sit sanam etiam de Magistratu doctrinam tradere, veritas enim nunquam mutila est, sed ubicunq; est tota est: Sanam tamen doctrinam de Magistratu etiam alere potest, qui veram religionem non habet, cum Magistratus etiam inter Infideles ac Ethnicos & eodem Jure, quo inter Christianos locum habeat. Sed unice ut indicato doctrinæ ejus cum verbo Dei, sana ratione, aliorumq; Virorum Egregiorum, etiam non Reformatorum consensu, quicquid ab aliis magno conatu ipsi impingi cœptum est, id per injuriam fieri ostendamus. Unde nec generalem aut omnibus numeris & partibus absolutam aut in casus speciales diffusam doctrinam promittimus, sed illud tantum, quod proposito huic illustrando sufficere arbitrabitur.

IV. Lo-

(3)
IV.

Loca è quibus doctrinā nostrā peti seu cognosci oportebit, erunt *Confessiones Reformatarum Ecclesiarum* omnium Europæ partium, *Consensus deinde Celebriorum Doctorem*, & inter se & cum aliis hac in re, idq; more inter viros bonos passim recepto. Privata singulorum dogmata iisdē jungi Religioniq; unā, invitis licet ac renuentibus plerisq; Reformatis obtrudi velle, qui adversæ partis alias & recentissime in hoc argumento conatus fuit, nimis inhumanum, ipsiq; sanæ rationi adversum est, quæ non patitur communitatem teneri ex facto singulorum: *Ne unius amentiam Civitati assignarent, suo quemq; periculo facere*, dixit Orator Magnetium coram T. Quintio ap. Liv. l. XLV. Candida hanc in rem est expressio Meisneri, *Disp. An Luther. & Calvin. in Fundam. convenient* §. 245. *Nosmet ipsi novimus, quod Ecclesia Dei non teneatur dare rationem omnium privatarum opinionum vel errorum suorum Doctorem, quam ob causam nemo facile è nostris reperitur, qui paradoxa Piscatoris, Vorstii, & aliorum toti Calvinianorum Ecclesiæ impingat.* Plura vid. apud *Masson. P. I. c. II. X. tot.* Ne dicamus adversus Legem charitatis hac in parte nimium quantum peccari; Si enim etiam quorundam dogmata minus probanda sint, cur non potius aliorum meliora proprio ipsorum iudicio sentientium doctrinas toti religioni tribuunt? Cur tantum deteriora sentientes huc trahunt? Cur non communem humanitatis regulam sequuntur, quæ in dubio benigniorem sententiam sequi jubet? *Nemo nostrorum est, qui non malit absolvere quemvis nocentem, quam damnare innocentem; Eligitur enim, in quo minus delinquitur: Ut est apud Autorem Probl. Aristot. Sect. 29.* In Senecæ controversia quadam est: *Alter iudex damnat, alter absolvit; inter dispares sententias mitior vincat.* Conf. Grot. J. B. II. V. 18. & XXII. 5.

V.

Itaque ut à definitione ordiamur, Magistratus est persona divino instituto delecta, ut quoad externam disciplinam, leges custodiat, pœna corporis transgressores plectendo, & bonos foveat atque amplectatur. Martyr. P. II. Cl. IV. loc. 13. init. *Persona à Deo ordinata ad*

(4)

ta ad conservationem legis in externa disciplina, & ordinis in humana societate inter subditos. Wendelin. System. L. 1, c. XXIX. §. 2. Ordinatio divina ad defensionem bonorum & vindictam malorum secundum justitiæ & æquitatis regulam. Aret. probl. p. II. f. 98. Add. Bucan. Loc. XLIX. §. 15. Danæus Isag. p. V. l. 4, c. 25. Polan. Synt. L. X. c. 64.

VI.

De necessitate & usu ejus, Deumque benigne hac in parte consuluisse generi humano *Calvin. Inst. l. IV. c. 20. n. 1.* Et quidem ne homines agerent vitam belluinam sed vere humanam; Eoque magistratum tam necessariam esse quam panem quotidianum, aquam, Solem. *Pareus Aphor. de Magistr. §. III. ubi plura, in Opp. Par. vol. 2. f. 309.* Citra eum nihil in rebus humanis aut rectè geri, aut perdurare posse. *Confess. Bohem. de A. 1532.* Ad Manifestationem gloriæ Dei, & singularem utilitatem humani generis destinatum esse. *Confess. Scot. art. 47.* Ut aliqua sint frena, quibus immoderata mundi cupiditates coerceantur. *Confess. Gall. art. 39.* Ad generis humani pacem & tranquillitatem. *Confess. Helvet. art. 30.* Ut in iis, quæ politica & temporaria sunt populus regatur, & in officio contineantur homines. *Confess. Bohem. art. 16.* Cuncta ex 1. Tim. II. 2.

VII.

Eundem à Deo approbari; *Deus stat in cætu Dei, in medio Deorum judicat.* Pf. LXXXI. 1. *Piscat. Aphor. Doct. Chr. loc. 28. §. 4. Par. Aphor. §. 6.* Ideò & honoratissimis dignitatum elogiis affici Deorum & similibus. *Calvin. §. 4. Martyr. §. 3. Bucan. q. 29. Aret. f. 97.* Vicem Dei gerunt, in quorum subselliis Deus ipse sedet & judicat. *Confess. Scot. art. 42.* Sunt Legati ac Ministri Dei. *Confess. Gall. art. 39.* Magistratus mundi veluti pater. *Confess. Helvet. art. 30.*

IIX.

Adeoqve bona conscientia geri posse. *Calvin. cit. l. §. 2. & seqq.* quia est bona Dei ordinatio & dispositio. *Bucan quest. 18.* Etiam in Novo T. *Calvin. §. 2. & seqq. Pareus §. 8. & 20. Voet. vol. IV. Disp. de Magistr. §. 1. Maref. Syst. loc. XV. §. 20.* Damna-

mus

(5)

mus Anabaptistas, qui Christianum negant fungi posse officio Magistratus. Confess. Helvet. art. 30.

IX.

Potestatem illam quoque à Deo institutam esse ex Rom. XIII. 1. Confess. Waldensium de A. 1544. art. 6. *Nous confessons, que les Rois, Princes, & Magistrats sont ordonnés de Dieu.* Et de A. 1655. art. 32. *Que Dieu a établi les Rois & les Magistrats pour la conduite des Peuples.* Scotica art. 42. *Esse sanctam Dei ordinationem &c.* Gallica art. 39. *Deum velle mundum LL. & politica gubernari, ideoq; constituisse Reges & Respp.* Helvetica art. 30. *Magistratus omnis generis ab ipso Deo est institutus.* Bohemica de A. 1533. *Omnis sublimior potestas seu Magistratus secularis Dei ordinatio est &c.* Add. & particulares scriptores quos paulum ante ad definitionem magistratus citavimus: Cui etiam necessario hanc doctrinam inferendam esse *Bucanus* urget *Loc. XLIX. q. 17.* *Estne necessario complectenda hæc particula in definitione Magistratus, quod sit à Deo institutus? R. Est 1. Ut agnoscamus ejus Deum autorem esse, 2. Ut huic divinæ ordinationi obediamus, 3. Ut sciat Magistratus, se fideliter Deo servientem, gratum ei laborem præstare, 4. Ut Magistratus ipsi & subditi habeant consolationem, quod Deus pericula hujus civilis vitæ gubernet; Tyrannos verò & rebelles puniat.* Nec autumamus dubii quidpiam hic moveri posse: Unum *G. Mylium* vidimus indignari *Variatæ A. C.* quæ cum in *Invariata* tantum legeretur, docent quod legitimæ ordinationes civiles sint bona opera Dei, idemque obscurius videretur dictum esse, adjecit & ordinationes DEI, sicut *Paulus* testatur: *Quæ sunt potestates à Deo ordinatæ; Causatur enim $\omega\epsilon\gamma\sigma\ \eta\mu\iota\eta\upsilon$ hanc nihil incommodi quidem habere, causâ adjectionis tamen gravi aut necessaria destitui, Pontificiis ansam calumniandi præbere, & $\alpha\pi\sigma\sigma\delta\iota\omicron\nu\upsilon\sigma\sigma\upsilon$ esse.*

X.

Et quidem immediate: Iterum ex Rom. XIII. 1. *Non est potestas nisi à Deo.* *Danæus* *Isagog. p. V. l. 4. c. 24.* *Dico à Deo ipso non ab hominibus immediate institutum fuisse Magistratum, quemadmodum apparet ex Proverb. 8. 16. &c.* *Petr. Martyr. Loc.*

(6)

Com. Cl. IV. Loc. 13. init. *Propria causa Magistratum est ipse Deus &c.* Aret. probl. p. II. f. 98. *Efficiens causa h. Autor verus & antiquissimus institutor est Deus.* Joh. Cuchlin. in Catech. Belg. Disp. de Pol. Mag. §. 2. *Deum ipsum esse Autorem & Institutorem Imperiorum & Magistratum omnium, quæ fuerunt & futura sunt.* Voet. vol. IV. Disp. de Magistr. Pol. §. 2. *Potestas illa immediatè à Deo est, & consequenter ab alia potestate aut ordine in hoc mundo independens.* Prov. 8. 15. Ps. 82. 6. 1. Sam. 25. 7.

XI.

Ac proinde *Juris Naturæ seu Juris Divini Moralis existere.* Voet. vol. IV. Disp. de Jur. Reg. §. 2. *Cum ipsa natura & hominum fatione ac propagatione cœpisse.* Dan. Isag. c. l. c. 24. *Lux quædam accensa est divinitus in animis hominum, quæ intelligunt se non posse una vivere absque ductore, atque inde ortus est Magistratus,* Bucan. q. 16. *Non solius Juris Divini permisiivi. Ne quis potestates quæ sunt in mundo, non esse à Deo aliter putet, quam ex permissione quædam, quæ sinat potentiores in multitudinem inferiorum exercere dominium, eo quòd filiis hominum terram hanc subjicerit: mox ejusmodi cogitationem reprimens dicit, quæ verò sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Non simpliciter, à Deo sunt, inquit, sed ordinatæ sunt à Deo. Alia est eorum conditio, quæ permittuntur, & alia eorum quæ ordinantur ac disponuntur.* Muscul. L. C. f. 624.

XII.

Quia vero inter viros doctos, non tamen Reformatos, eo nomine disputari cœptum est; *Durum enim videtur quod hic nihil hominibus sit relictum, nam cum certa ordinatio regendi populum sit dispositioni hominum liberæ relictæ, quid ni & collatio summæ potestatis eidem dispositioni erit reservata?* ait Dn. Clafen. *Comp. Polit. l. 3. c. 2. §. 5.* Ideo distinctioni non inutili se præmunierunt: *Immediatatem illam genericè capiendam, ut vero hæc vel illa forma regiminis specificè obtineat, partim fieri ex hominum consensu, partim quandoque ex Jure armorum.* *Mar. ref. loc. 15. §. 20.* Clarius Voet. ad Proverb. II. 14. 15. *Textus loqui-*

loqui-

(7)

loquitur de majoritate & potestate Magistratus; Quarum illa directè est *Juris Divini & quidem Moralis* ac perpetui; ista vero, Deo hominibus hoc permittente, est *juris merè humani ac positivi*, quod ad specialem pro necessitatibus rerum ac personarum, earumque circumstantiis, determinationem atq; applicationem. Haut aliter ac conjugium Caji & Sejae est *Juris Divini* in genere: sed est *juris humani*, quod ad liberum Caji cum Seja, non verò alià, & viceversa, Sejae cum Cajo in societatem conjugalem consensum. Sicuti hic *Consulalicujus urbis* potest dici à Deo esse *jure divino quo ad potestatem & majoritatem* in genere; non tamen *quo ad specificationem* talis ac tantæ in hac urbe potestatis; aut quod ad applicationem potestatis consularis ad talem personam, & non aliam. In duobus enim illis intercedet statutum & arbitrium humanum. Hanc solutionem suppeditat ipse Textus *Prov. 8. v. 15. 16.* cum adduntur hæc verba: *omnes judices terræ*. Unde nullus Theologus inferet, *Judices, Consiliarios, omnes immediate à solo Deo constitui & dependere, eorumque potestatem quod ad quantitatem, qualitatem & modum immediate à jure divino positivo in specie determinatam esse.* Vol. IV. *Disp. de Jur. Reg. Hebr.* Et ante hos *Pareus Aphor. de Magistr. §. XI.* Magistratum solus Deus ordinavit. Formæ verò Reip. & ejusdem gradus distincti, ut in ea sint Cæsares, Reges, Princeps, Superiores, Inferiores, dependent ab ordinatione hominum, & sanctione civili: omnes tamen pariter a Deo gubernantur. Prorsus ad eum modum, quo *Danbauerus Hodomor. Spir. Papist. Pbant. 2. §. 785.* Potestas civilis accepta *activè & absolutè abstrahendo ab hoc, hic & nunc* (nam de potestate electrice ac certi subjeti e. g. *Caroli V.* determinatrice non est quæstio, quæ ab humano consilio proficiscitur, nec immediate à Deo; Ipsa tamen potestas regendi absolutè sicut non est in subditis, quos vel singulos vel conjunctos regere per naturam impossibile est, quis enim regeretur, si omnes potentia Reges? ita est immediate à Deo) *ab hac vel illa regiminis formâ* (nam hæc mutabilis est, manente semper potestatis substantia, ipsa sc. *κεράτεια: δὲχία* sive *fit*

fit Monarchia sive Aristocratia, uti eadem est comœdia, personis licet & habitu mutatis) *est à Deo* (medico qui naturæ corruptæ, regere semet nesciæ, palabundæ, hoc suo *θεῖω δωρεω* providit) *instituta* (de institutione sermo est non designatione aut executione) *immediatè*, *immediatione* propriè dictâ.

XIII.

Hincque *ἀνθρώπινην κλίσιν*, humanam ordinationem I. Petr. II. 13. dici ajunt, ob specialem modum, seu speciem & formam regiminis huic aut illi populo regioni, civitati, pro ratione circumstantiarum aptandam. Voet. *de Jure Reg.* §. 1. Add. Par. *cit.* §. XI. Æque ac iterum Danhauer. *cit.* l. de personis ibi sermonem esse, non de potestate; de potestatis subjecto, non ipsa potestate, cui tamen & alias explicationes adjiciunt, ut Bucanus q. XVI. dici talem quod hominum fit propria; vel ratione finis, cui, quia ad hominum utilitatem fit constituta. Adde Bez. *not.* in b. l. Sharp. *loc. de Magistr. init.*

XIV.

Hocque sensu & *homines instrumenta constituendi Magistratum* dicunt. Interdum id fit Senatus consensu, non nunquam populi suffragiis, aut militum voluntate, aut hæreditaria successione; *Verum hæc instrumenta sunt: propria verò causa Magistratum est ipse Deus Martyr. c. l. §. 3.* Scriptura S. docet civiles potestates esse à Deo proprie, non autem ab hominibus, *Dan. c. l. quamvis cause plerumque instrumentales sint,* nihilominus tamen Deus est qui Magistratum, omniumque legum primum fundamentum jecit. *Cueblin. c. l. §. 2.* Huc pertinent *Organicæ cause, b. per quos eligi Magistratus* debeant: nam satis est Dei authoritatem proferre ad ejus approbationem, interim per homines eliguntur, ut Moses elegit septuaginta Seniores ad gubernationem totius populi. *Aret. c. l. Regna & Reges à Deo dantur & ab eodem tolluntur, & cause quædam mediæ* interveniunt. *Pol. Synt. L. X. c. 64.* Magistratus est à Deo per homines: *Deus est causa principalis: homines sunt cause instrumentales. Wendelin, Syst. L. I. c. XXIX, §. 4.*

XV. Jure

(9)
XV.

Jura Magistratus habentur Rom. XIII. 6, 7. Unde colliguntur in tribus consistere: I. Ut agnoscatu tanquam Minister Dei, cui honor, & reverentia ideo debetur, quia est loco Dei. II. Ut propter autoritatem tanti muneris à subditis omni honore, reverentia & timore afficiatur, non minus, atque parentes à liberis suis. III. Ut Magistratui dependantur debita, vectigalia, & tributa. Pareus d. l. Aphor. XII. Sic Confessio Waldensium de A. 1120. Nos deven honor à la potestà secular en subjection, en obediencia, en promptesse, è en pagament. Et altera de A. 1544. Il faut que nous leur rendions tout l'honneur qui leur est deu, & que nous leur payons le tribut. Similiter Confess. Scot. art. 24. Amandos, honorandos, timendos atque in maxime verendâ estimatione habendos esse. Confess. Gall. art. 39. Oportet propter ordinis hujus auctorem non tantum pati ut ii dominantur, quos ille nobis præfecit, sed etiam honore & omni reverentia eos persequi. Confess. Helvet. art. 30. Honorent ergo & revereantur subditi Magistratum, tanquam Dei Ministrum; ament eum, foveant eum, & orent pro illo tanquam pro patre, obediant item omnibus ejus justis & æquis mandatis, pendant vectigalia, tributa, & quæ alia hujus generis debita sunt fideliter atque libenter. Confess. Bohem. art. 16. Pro gradu & officio suo quemq; honore afficiant & revereantur, omne debitum illis persolvant, census ac tributa, ut quisque tenetur, sic pendat. Confess. Bohem. ad Reg. Vladisl. conclus. Sumus etiam in dignitate potestatibus constitutis subiecti, imperata servamus, omneque opus justum parata mente exequimur. Confess. Bohem. A. 1538. Sublimioribus potestatibus esse obediendum docemus, ad omne opus bonum & mandata earum debere esse paratissimos: E privatis doctoribus Vid. Bucan. Q. LXIII. & seqq. & alios passim.

XVI.

Eademque infidelibus etiam & impiis Magistratibus debita: Tametsi enim summum suæ beneficentiæ munus esse Magistratum, ad salutem hominum conservandam, testatur Dominus, ac suis Magistratibus ipse fines præscribit: simul tamen declarat, qualescunq; sint, non nisi à se habere Imperium. Eos quidem qui pu-
B
blice

blico bono imperant, Vera ejus suae beneficentiae exemplaria esse & specimen: Qui verò injuste & impotenter dominantur, eos ad vindicandam populi iniquitatem ad se excitatos: omnes ex aequo sancta illa majestate esse praeditos, qua legitimam potestatem instruxit. Calvin. Institut. IV. XX. §. 25. Eorumque proinde impietas nos non liberat ab ordinaria obedientia. Aret. fol. 98. Sed Deus per eos exequitur suam voluntatem, ut sub exercitatione tolerantiae sustineantur temporalia & sperentur aeterna. Danæus cap. XLIX. Add. Polan. cap. LXII. Eoque avaro quoque, & crudeli, & per vim introducto, & intromisso, aut per ambitum, item nostra rapienti, 1. Sam. VIII. II. 2. Petr. II. 18. tamen parere debemus; Sed & indocto quoque & infanti, & improbo, veluti adultero, furi, quia Magistratus est. Nam cognitio disquisitioque hujus rei nostra non est, qui sumus privati. Dan. c. XLVII. Nero Cæsar homo erat flagitiosissimus, prostituta nequitiae & impietatis: eoque potius poena dignus, quam honore, uti referunt Historici. At vero quia Cæsar fuit, Apostoli, Petrus & Paulus, monent Christianos regem honorare: Honorandus igitur propter ordinationem Dei: ut & omnes alii, qui hanc ordinationem divinam administrant, & potestatem in nos habent, tametsi flagitiosissimi sint, & blasphemii: ob divinitatem scilicet officii. Pareus Aphor. XXXV. Add. Ravanell. in Obedientia n. 2. Bucan. q. XXI.

XVII.

Et quidem non tantum propter iram, h. metus causa, sed & propter conscientiam, h. ex sensu officii nostri, quia conscii sumus ordinationis divinae, per quam datus est Magistratus, scimusque obediendum illi esse ex voluntate & constitutione Dei. Muscul. L. C. f. 641. Add. Bucan. q. LXXIII. Par. Aphor. XXX. Unde & Paulus Tit. III. 1. inter bona opera numerat subijci Magistratui suo. Dan. c. XLVI.

XVIII.

In omnibus quoque juxta 1. Petr. II. 13. Confess. Helvet. art. 30. Extendit se ad omnia quæ possibilis sunt Wendel. §. XV. n. 2. Etiam ad duriora mandata seu iniqua ratione subditorum: Ut
fini-

(II)

Si nimia tributa imponantur, est enim tale imperium et si durum, jus tamen regium, quod ad subditos singulos & privatos. *Dan. c. XLIX. Add. Maref. L. XV. §. 23.*

XIX.

Excipienda tantum manifesto injusta & impia, tunc enim Deo potius parendum quam hominibus. *Confess. Bobem. art. 16.* Est enim Deus summus Magistratus, cui supra & ante alios omnes parendum est. *Dan. c. l.* Idque exemplo aliorum fidelium, ut obstetricum Ægyptiarum, *Exod. l. 15, 16, 17.* Parentum Mosis, *Exod. II. 2. Hebr. XI. 23.* Ministrorum seu apparitorum Saulis nolentium sacerdotes Jehovæ interficere. *1. Sam. XXII. 17. Polan. c. LXII, ubi plura. Add. Par. Aph. XXXVII. XXXVIII. Wendel. c. XXIX. 15.*

XX.

Nunquam tamen maledicendum ipsis juxta *Exod. XXII, 28.* Cum subjectione pugnat maledicentia in principem seu Magistratum quæ prohibetur. *Exod. XXII. 28. Ecclesiast. X. 20.* Ne quidem in conscientia regia maledicito. *Polan. L. X. c. 62.* Sed honestè de eo sentiendum, semperque & ubique venerabilis debet esse subditis facies & persona sui Magistratus. *Dan. c. XLIX.* Piorum subditorum officium potius est infirmitates illas toleranter perferre, non minus atque liberos parentum suorum nævos ferre æquum est. *Par. Aph. XXXI.* In specie *Calvinus*, postquam doctrinam de tributis exposuerat: *Neque hæc doctrina privatis hominibus supervacua est, ne quosvis principum sumptus, tametsi vulgarem civilemque modum excedunt, temere ac procaciter sugillare sibi permittant.* *Inst. L. IV. XX. §. 13. Add. eundem §. 22. & Scriptores ad præc. §. XVI. citatos.*

XXI.

Minime omnium v. ipsis resistendum; Quisquis enim resistit, Dei ordinationi resistit *Rom. XIII. 2.* Qui supremæ autoritati resistunt, usurpantes quod ad illius munus pertinet, illi Dei ordinationi resistunt. Et quicumque auxilium, consilium & consolationem Principibus & Gubernatoribus fideliter in executione muneris incumbentibus negant, iidem auxilium,

B 2

con-

consilium & suppetias Deo recusant. *Confess. Scot. art. 42.* Qui Magistratui se opponit, iram Dei gravem in se provocat. Damnamus itaque omnes Magistratus contemptores; rebelles, reipubl. hostes & seditiosos Nebulones, denique omnes quotquot officia debita præstare vel palam, vel arte renuunt. *Confess. Helvet. art. 30.* Quique huic potestati refragaretur, is ordinationi Dei refragaretur, & perditionem sibi adscisceret. *Confess. Bohem. d. A. 1538.* E privatis doctoribus Par. Aphor. XXXVI. Quævis potius injuriæ sunt perferendæ, quam vel resistendum illorum potestati, aut ordinationi divinæ, ex regula Petri: *Subditi estote cum omni timore, non solū bonis & æquis sed etiam pravis.* Cogitantes scil. omnes potestates, tam bonas quam malas à Deo nobis esse propositas. *Bucan. qv. LXXIV.* Deus seditioſum autores punivit, ut in deserto contra Mosem &c. *Prov. XXIV. 21. Time Deum, regem, & cum seditiosis ne commiscearis, quia cito eorum veniet interitus.* Et Christus inquit: *Qui gladium accipit, gladium peribit.* *Matth. XIX. 52.*

XXII.

Et ne quidem in atrocī injuria; *Sed patienter potius ferendam esse, ut in casu ambiguo, & in negotiis politicis, quam adversus Deum peccandum.* Hic enim jubet Christus, ut obvertas & alteram maxillam, id est, ut hanc quoque injuriam Magistratus tui toleres propter Deum & scias te propter acceptam injuriam non esse abjectum à Deo. *Bucan. q. LXXVII.* Atque ita ratiocinandum esse: *Quæ Deus suis auferret aliis mediis ac instrumentis, si per tyrannos auferat, non minus esse patienter ferendum: & quis non ferat morbos, grandines & jacturas, cujus generis Jobus passus est, modo sit pius? adeo enim ista eadem non minus à Deo fieri per tyrannos, atque per illa alia, statuendum est.* *Martyr. Clas. IV. Loc. XX. n. 14.* OppONENTI quoque, hoc modo nunquam quæri posse Magistratus auxilium, respondet aliam rationem privatorum esse, hos enim Magistratus remedium justè posse obtinere; At adversus tyrannum, ait, *non babes quod agas, nisi seditioſum aut tumultum, conspirationem ve contra illum excites, aut ipsum pri-*

pri-

privata auctoritate interficias, quae aliena sunt à Sacrorum literarum sententia.

XXIII.

Idque imprimis in absolutis principibus locum habere. Si absolutam Monarchiam habet, est in fide ejus praestandum, etiamsi tyrannus evasit, etiamsi nihil minus praestet, quam quod ex officio erat Regum & Principum. Sic enim videmus exemplo nobis Danielem praevisse, atque in fide Nebucadnezaris perstitisse, etsi Nebucadnezar Tyrannidem exerceret. Polan. l. X. c. 62. Quid si Rex vel Princeps absolutam & illimitatam habeat in republ. potestatem, nulli quacunqve de causa licebit ei resistere, multo minus ejus vitae struere insidias, ut Jesuitae Regicide promovent & propugnant; Imò si persequatur Ecclesiam, debent Christiani, aut fuga sibi consulere, aut patienter se ad damna & tormenta quaelibet preparare; quum arma Ecclesiae hoc respectu non alia sint quam preces & Lachrymae. Maref. loc. XV. §. 20. Beza de Eceles. c. V. §. 45. Quid si vel in externum Tyrannum, vel domesticum ejusmodi grassatorem consenserimus? Nempe noster consensus vitium purgaverit, & clamandum erit ad dominum, qui hoc iugo nos quoquo modo liberet. Sed & diligenter cavendum erit, ne particularia facta, cujusmodi multa in hoc argumento vel unus Judicum liber suppeditabit, in exemplum trahamus. Quid si vero nos Dominus in ejusmodi hominum manus tradiderit? Nempe Deo parendum erit, penes quem unum proprie jus est & attribuendi & auferendi imperia, & libenter acquiescendum in illius voluntate, quae est constantissima justitiae regula.

XXIV.

Speramus nihil haecenus traditum esse, quin & sanitas & securitas doctrinae nostrae ex eo constare possit; Nihil quoque allatum, quin idem à sanioribus quibuscunqve etiam religioni nostrae non addictis traditum, probatumque sit. Et cuncta quidem sine discrimine formarum externarum Reip. aut singulari respectu unius formae praeter altera: Indifferens enim est Jus divinum ad quamvis regiminis formam consensu & pacto conventionali communitatis, si ve eorum ad quos hoc pertinet, libere & rite hic &

B 3

unus

*enunc instituentiam; Et consequenter quodlibet regimen Politicum quod ad speciem & formam est in se & sua natura indifferens, moraliter nec malum nec bonum, lege divina immediatè nec prohibitum nec præceptum. Voet. Vol. IV. Disp. de Jur. Reg. §. 1. Unde optimè Calvinus: Si Deo visum est Reges Regnis præficere, liberis civitatibus senatus aut decuriones quoscunque locis præfecerit in quibus degimus, nostrum est iis nos morigeros ac obediens præstare. Inst. IV. XX. §. 8. Eoq; & sine periculo velut homines ipsi, sic Theologi pariter ac Politici alii hanc, alii aliam Regiminis formam præferri posse libere statuunt. Sic *Daneus* in Monarchiam propendet, quia divinam gubernationem in his terris representat. c. XXVII. f. 190. *Polanus* itidem, & hereditariam successionem una Electioni præfert. Calvinus ab Aristocratia alienus non est. Hæc tamen si ad se transferant, quibus dominus aliam gubernationis speciem attribuit, ut inde ad commutationem expetendam sollicitentur, non modo stulta erit & supervacua, sed prorsus noxia etiam cogitatio; Idem Calvinus c. L.*

X X V.

Sequuntur speciales Qq. in quibus aliquid dubii esse videbitur, sed nec multum nec admodum difficile: Interim has etiam enarrari, & quomodo se habeant dici oportebit. Prima erit *De Regnis & Principatibus Limitatis* seu uti loquuntur *partitionatis*: De quibus diffitendum non est aliqua moveri, sed 1. non sine ratione, 2. nec a solis Dd. nostris sed ex comuni sententia præteritorum temporum. Rationem suppeditarunt *formule Commisoriae* plerorumq; regnorum, quæ cum passim jus aliquod subditis contra principes pacta non servantes relinquerent, jus hoc non inane esse, ipsosq; proinde eodem uti posse haut difficulter credi potuit. Sic in juramento Regum Poloniae habetur: *Si quod absit, juramentum in aliquibus viola vero, nullam mihi incolæ regni omniumque Dominiorum uniuscujusq; gentis obedientiam præstare debebunt: Imò ipso facto eos ab omni fide & obedientia Regi debita liberos facio, absolutio-nemq; nullam ab hoc juramento meo à quoquam petam, nec ultrò oblatam suscipiam.* Simili Clausula leges suas conclusit *Andreas Rex Hungariae*: *Si nos vel successorum nostrorum aliquis huic dispositioni nostræ contraire voluerit, liberam habeant harum autoritate, si-*
ne no.

(15)

ne nota alicujus infidelitatis, tam Episcopi, quam alii Tobagiones ac nobiles regni nostri universi ac singuli, presentes, & futuri posterique resistendi & contradicendi nobis & nostris successoribus facultatem. Et in juramento Christiani II. Regis Daniæ extitit: Sicut tenemur unumquemq; jurare ut jus suum consequatur, ita nos ipsi quoque obnoxii esse debemus unicuique coram senatu regni nos accusanti comparere & ad ipsius postulata usitato judiciorum more respondere & quicquid à senatu regni super ea re decretum & pronunciatum fuerit id ipsum exequi, neque hujusmodi legitimas accusationes aut postulationes iniquo animo ferre. Atq; hinc in communem sententiam transiit, Principibus ejusmodi non quidem à privatis, attamen ab Ordinibus Regni tanquam Magistratibus inferioribus in societatem regiminis adscitis resisti, pro re nata quoque eosdem deponi posse. Dicimus in *Communem Sententiam* transiisse: Nam eandem superiori seculo tenuerunt plerique Theologi, Jcti & Politici, Evangelicæ Religionis, quorum Scripta Vid. ap. Hortleder. de Bell. Germ. p. 1. l. 2. tot. Dedeken. Consil. Theol. vol. 2. sect. 12. Consil. Theol. Witteb. p. III. f. 95. & seqq. Luther. T. VII. Jen. & uno quasi intuitu ap. Gerhard. Bedencken von der Gegenwehr c. l. Dedeken. f. 319. Qui ipse toto hoc scripto quoque hanc sententiam professus fuit, eandemque repetiit Loc. Theol. de Magistr. n. 485. Add. Nicol. Hemming. Comm. in Ps. LXXXIV. in opp. f. 1245. Joh. Wigandum & Matthæum Judicem Corp. Doctr. ex V. T. f. 1613. In primis vero Frider. Balduinum, Catech. Apost. in Ep. ad Rom. q. 3. f. 785. Cujus unius verba instar omnium erunt, & vel eo nomine adduci merentur, quod prorsus eadem cum iis sint, quæ Pareus in Rom. XIII. tradidit, quorumve causa hic non satis bene nonnullibi audiit: Quando subditi, ait, non omnino privati sunt, sed in inferiori Magistratu constituti, illi resistere possunt superiori Magistratui, si degeneret in Tyrannum; modo semper fiat juxta leges, cum moderatione inculpate tutelæ. Nam & inferiores Magistratus debent contra vim injustam subditorum vitam & bona defendere: & ideo adjuncti sunt superiori Magistratui, non saltem ut sint laborum socii, sed & ut coerceant nimiam ejus licentiam, sicubi opus fuerit: idque exemplo centurio-

13478

rum & principum populi, qui Athaliam Reginam Tyrannicè gubernantem deposuerunt & interfecerunt. 2. Reg. II. Eadem habent Theod. Reinking. de R. S. & Eccl. L. 1. Cl. 1. c. 5. n. 43. & Cl. 2. c. 2. n. 189. Limn. J. P. L. 2. c. 8. n. 48. Heider. Polit. c. 6. f. 963. 965. Arnis. de jur. Maj. L. 1. c. 6. n. 22. De re ipsa nihil dicemus: In tanto a. numero id profitentium, quid mirum erit, si Zwinglius, Calvinus, Beza aliive Reformati Doctores eandem sententiam amplexi fuerint, aut quis vitio id ipsis præ aliis vertet?

XXVI.

Porro nec in recensione singularium jurium Majestatis est, quod nos moretur: Nam *Jus puniendi, Bellandi, Tributa imponendi* communi consensu & nemine contradicente agnitum receptumque est. De jure circa sacra etiam nemo dubitat, curam Religionis summo Magistratui competere, Personas Ecclesiasticas ei subjacere, in bona Ecclesiastica etiam jus competere. At circa extensionem hujus juris in Ecclesia una atque altera variatum est: Quia enim Ecclesiæ Evangelicæ in eo contra Arminianos conveniunt, non omnem potestatem Ecclesiasticam circa sacra Magistratui soli competere; nec omni etiam, nam quomodo Magistratus infidelis Ecclesiæ præerit? Ideo ex arbitrio unius cujusque Reipubl. suspendi potuit, quid & quousque circa hæc talia Magistratui tribui debeat. Musculum, Martyrem Pareum & alios agnoscere Religionis instituendæ, gubernandæ ac vindicandæ potestatem supremam pertinere ad eos Magistratus, quibus est merum Imperium in subditos & potestas gladii humanæque vitæ gubernatio & condendarum legum autoritas, fatetur ipse *Episcopus Apolog. pro Confess. Remonstrant. c. 23. Tom. 2. p. 2. Opp. fol. 279.* At Theologi Belgici nonnulli quia negant supremum judicium in Ecclesiis ulli homini sed soli Christo competere, hinc potestatem Architectonicam circa sacra, hoc sensu acceptam, Magistratui tribui non posse autumant. Sic Triglandius *Disp. in Confess. & Apolog. pro Confess. Remonstr. Diss. 72. §. 3.* *Nec Ministris potestatem illam exclusivè ad Magistratum, quæ talem concedimus, ut jam sæpius dictum; Nec eam Magistratui Christiano, oppositè ad Ministros, cum Remonstrantibus concedi permittimus. Itaque nemini in terris potestas ista competit*

AUT

(17)

aut competere potest. Ratio est evidens, quia potestas illa Spiritu-
 alis, adeoque & divina est. Deinde ut jam dictum; Christus solus
 caput & Rex est Spiritualis Ecclesiae suae. Similis ratio est Ju-
 ris vocandi pastores Ecclesiae, quod Presbyterio compe-
 tere in Belgio volunt, alibi toti Ecclesiae tribuunt, non ma-
 gno quidem discrimine, nam illi Presbyterium veluti Eccle-
 siam repraesentativam respiciunt. Interim in eo conveniunt jus
 hoc summo Magistratu qua talis est, eiq; soli non competere. Bre-
 viter de re ipsa, h. jure circa sacra nullum dubium: Extensio e-
 jusdem ad plura vel pauciora objecta ex constitutione Reip. æ-
 stimanda; Neq; id majori cum injuria S. P. conjunctum est,
 quam in civilibus si quis dixerit, jura Majestatis in unâ Republ.
 ad plura objecta se extendere, in altera verò talem extensionem
 locum non habere. Sic jus Tutelæ Summæ potestati citra con-
 troversiam competit, idemq; in Anglia & Gallia ad Jus Depor-
 tus se extendit: In Germania & aliis regnis neutiquam; Nec
 eo minus principes Summo tutelæ Jure gaudent. Sic Jus confir-
 mandi Ministros Sacros Voetius vocat Hypotheticum & par-
 ticulare, non absolutum & generale; quod ab omnibus ubiq;
 & semper, absque ulla ratione & peculiari necessitate observan-
 dum & exercendum esset. *Pol. Eccles. p. II. f. 567.* sensu quidem a-
 lio, hic tamen non impertinenti.

XXVII.

De Jure puniendi Hæreticos breviter adjicimus, Dd. no-
 stros id ad capitalia supplicia quidem extendere, sed in blasphem-
 mos & seductores pertinaces & impios eversores Ecclesiae & rei-
 publicæ, postquam scripturis convicti incorrigibiles apparent.
Vid. Bucan. q. XXXIV. Muscul. L. C. f. 614. Wendelin. c. XXIX.
§. X. n. 7. Maref. L. XV. §. 29. Cæteros admoneri volunt, aut si
 coercendi sint, id faciendum citra sævitiam & crudelitatem, &
 ad eum finem ut sint, qui resipiscere valeant, & cum fidelibus
 servari, & aliquando prodesse Ecclesiis Christi, quibus in erro-
 re nocere cœperant, ut Musculus loquitur c. I. Hæreticos vero
 qua tales, capitaliter puniendos esse nemini in mentem venit.

C

CAPUT

CAPUT II.
EXAMEN OBJECTIONUM
CONTRARIARUM.

- I. Summa *Hypothesium à Danbauero* Reformatis imputatarum.
II. *Zwinglii* verba examinata. III. *Calvini* verba. IV. *Bezae* verba. V. *Bucani* sententia. VI. *Polani* verba. VII. De *Parei* sententiâ. IIX. *Maccorvii* verba. IX. *Jacobus* Rex Angliæ de quibus loquatur? X. Quid de literis *Principum nonnullorum* ad *Frider. III.* El. Pal. sentiendum? XI. Reliquorum brevis consideratio: Quid de exemplis intestinis? An *Reformati cū Pontificiis* in doctrina de Magistratu conspirent? Repetitio *Censuræ Grotii* sententiæ de *jure Infer. Magistratum*: Responso ad examen *rationū Parei*. Quid de *facinore Anglicano*? XII. *Vindiciarum* Doctrinæ de hæreticis puniendis conspectus.

I.

SEquitur ut *Antithesin* videamus paucis quidem, nam rectum sicuti est iudex sui & obliqui, ita eo ipso quo doctrinæ nostræ sanitas indicata fuit, opprobria ejus vana esse ipsique per injuriam intentata agnosci necessum erit: Producemus tamen Advocatum ejus *Danbauerum* virum non incelebrem, sed in Reformatos perquam iniquum: Is namque in *Morologia Spir. Calvin. Phantasm. VI.* duas has hypotheses è Reformatis doctoribus eruere conatus fuit: *Antinom. V. Regi Tyranno extra regulam Christi agenti, insurgenti contra Deum vi & armis resistito, deponito, ejicito, & Antinom. VI. Hæreticos quæ tales capitali supplicio plectito*: Quæ postea in Scripta recentiorum transiere, qui dum *Danbauerum* cœca fide secuti sunt, crediderunt se invenisse, non quod pueri in faba.

II.

Primus, quem profert *Danbauerus* est *Zwinglius*: *Quando Rex perfide & extra Regulam Christi egerit, potest cum Deo deponi, cum autem in manifeste impios aut delinquentes non animadvertit, extra regulam Christi ambulat; magis verò cum sceleratos provebit & innoxios prægravat, ut cum inutiles ventres, otiosos sacrificulos defendit. Si communibus suffragiis creatur Rex, & inci-*
pit

(19)

pit esse flagitiosus, communibus votis rursus ejiciatur, nisi cum eo puniri velint. Decretum est Zwinglii in explan. art. 41. tom. 1. in oper. apud Danhauer. f. 1259. R. 1. Verba non integra citari, sed cætera quoque addi debuisse; Quo vero pacto movendus sit officio, facile est conjectare. Non est ut eum trucidet, nec ut bellum & tumultum quis excitet, sed aliis viis res tentanda, quia in pace vocavit nos Deus. 1. Cor. VII. Ex his enim non exiguum momentum judicandi de mente Zwinglii pendet. II. Zwinglium dicere, posse cum Deo deponi, formareq; proinde casus ab ipsa S. Scriptura præbitos, qualis est iste Iehu, 2. Reg. X, 9. Si ego conjuravi contra Dominum meum & interfeci eum, quis percussit omnes hos? Videte ergo nunc, quoniam non cecidit de sermonibus Domini in terram, quos locutus est Dominus super Domum Achab, & Dominus fecit quod locutus est in manu servi sui Helie. III. Si quos alios casus etiam intelligat, non intelligere tamen Reges Hereditarios absolutos; sic enim ibidem loquitur: Si verò Tyrannus à nemine electus, hereditario quodam jure regnum &c. adeptus est, aut puerum, aut fatuum naturæ existiment, quibus imperat. Ferre enim hunc oportet, sed quomodo imperitabit? IV. Adeoq; de Regnis limitatis seu pactionatis esse intelligendum, quorum aliqua si in formulis Commissoriis suis clausulam depositionis contineant, cur Danhauerus Zwinglio vitio vertit, si secundum tenorem hujusmodi clausularum casus suos formet: Cujusmodi exempla supra adducta c. 1. §. XXV. V. Unde & Rivetus rectè respondit pro defensione Zwinglii, ipsum de Regnis Electivis loqui in Jesuit. Vapul. ap. Danhauer. c. p. 1259. Nam Regna Electiva nostrorum temporum non alia sunt quam pactionata. Eoq; VI. vana exceptio est, satis esse si etiam in Reges Electivos Zwinglius tam duriter pronunciet: Non enim Zwinglii pronunciatum est, sed integrorum Regnorum, ipsorumq; Regum, clausulas hujusmodi juramento subscriptioneque sua approbantium.

III.

Alter est Calvinus, qui Zwinglio suffragatur in Dan. VI. 22. 25. Abdicant, ait, se potestate terreni Principes, cum insurgunt

C 2

contra

contra Deum, imò indigni sunt, qui in numero hominum censeantur, ideoq; in capita eorum potius conspuere oportet, quam illis parere, ubi sic proterviunt, ut velint spoliare Deum Jure suo. R. Calvini verba quoque mutilata adduci. Quæstio enim ibi est, cur Daniel contenderit se nihil peccasse contra Darium Regem? Cui Calvinus respondet, id rectè ab eo factum, quia Deum Regi præferendum censuerit, neque etiam potuisse ipsum Regis Edicto parere, quin Deum abnegasset; Stanteq; jam evidentissima hac thesi, subjicit: *Jure ergo Daniel hic se defendit, quod nullam pravitatem commiserit adversus Regem, quia scilicet coactus parere Dei imperio, neglexerit quod in contrariam partem Rex mandabat.* Sicque demum sequuntur verba: *Abdicant enim se potestate terreni principes dum insurgunt contra Deum: Imò indigni sunt qui censeantur in hominum numero.* Sequitur tunc deterior casus, quid si principes velint spoliare Deum jure suo? Hunc ex Regulis comparatorum minoris majorisque mali decidit Calvinus: *Potius conspuere oportet in ipsorum capita, h. minus malum id esse, quam illis parere, ubi ita proterviunt ut velint etiam spoliare Deum jure suo & (quæ verba Danhauerus haud omittere debuisset) quasi occupare solium ejus, ac si possent eum à cælo detrahere.* Si quis casum dabilem ejusmodi principum non esse dixerit, ei dabitur casum Senacheribi II. *Chron.* XXXII. 14. & 17. Antiochi Epiphanis II. *Mac.* IX. 10. Nicanoris II. *Macc.* XV. 5. Inst. *Danhauerus* I. Non statim se potestate abdicat, qui potestate erga Deum abutitur. R. Committi ignorationem Elenchi, quæstionem n. esse non de quovis abusu potestatis erga Deum, sed de ejusmodi abusu, quo quis velit Deum cælo detrahere, hoc ipso enim Princeps vicariatum divinum recusat, ac proinde nec magis potest dici Summum munus istud amplius gestare, quem vice Rex in terris, si adversus Regem suum rebellet. Inst. II. *Non tamen ideo à subditis consputandi sunt, ne quidem figurato sputo, ne quidem in comparato sensu.* R. Committi iterum ignorationem Elenchi. Quæstio est utrum præstet conspuere in caput principum, quam ipsis parere, ubi ita proterviunt, ut velint etiam spoliare Deum jure suo, & quasi occupare solium ejus, ac si possent

sent

sent cum & cælo detrabere? Utrumque malum est, sed quod eorum minus malum sit, facile intelligitur.

IV.

Pergit Danhauerus: BezaCalvino consentit in *Tom. 1. Volum tract. Theol. de Eccl. c. VII. p. 57. Cum vitium, inquit, in re apparet, ut cum J. Cesar Galliam invito senatu vult retinere, consulatum ambit manifestò contra leges, adversus consules arma capit, denique Rempubl. evertit. Est igitur in re ipsa vitium, etiamsi Casarem daremus omnium hominum fuisse clementissimum, & modis omnibus optimum. Id verò quoties obtingit, nego pro magistratu habendos, qui Magistratus nomen sibi falso vendicant, nemo igitur latronum principi est obnoxius, & Casari jure resisterunt Consules. R. I. Summam injuriam fieri Bezæ mentemq; ejus non tantum mutile, sed perverse adduci; Quæstio enim est non de legitimo Magistratu, sed de Invasoribus Reip. qua tales sunt, quos intrinseco vitio laborare nec pro Magistratu habendos esse dicit, idque exemplo latronum & J. Casaris antequam Monarchiam indeptus esset illustrat; Atque hoc sensu dicit: *Nego pro Magistratu habendos, qui Magistratus nomen sibi falso vendicant, nemo igitur latronum principi est obnoxius, & Casari jure resisterunt Consules.**

Sed jam Bezam ulterius loquentem audiamus: Cum porro ait apud Danb. vitium est inhærens quæ sunt alioqui veri & legitimi principes, sive ex legibus & institutis, sive ex consensu tacito vel expresso: cujusmodi vitia sunt impietas, avaritia, ambitio, crudelitas, luxus, libidines & cætera ejusmodi monstra, quæ solent tyranni in pectoribus circumferre, hic igitur quid erit constituendum? Resp. ib. Superioribus potestatibus cujusmodi nunc sunt Septemviri in Romano Imperio, quos Electores vocant, & Regni Status in omnibus ferme Monarchiis, hoc onus incumbere, ut furentes Tyrannos cohibeant: quod ni faciant, ipsos ut patriæ proditores rationem suæ perfidiæ coram domino reddituros. R. I. Bezam palam loqui de Regnis limitatis eorumque clausulis commissoriis supra adductis. II. Nihil aliud quoque dicere quam cohibere posse. Id verò est

continere, retinere apud se, non deponere aut interficere: *Cos* bibere pari severitate fiscum atque *erarium* dicit Plinius in *Panegy.* 57. 1. h. cavere ne præter jus & rationem crescat privatorum dispendio. Vid. *For. Rom.* f. 652.

V.

Eodem collineat *Bucanus* loc. 49. p. 888. *Quid faciendum, si Magistratus sevus te afficiat atroci & manifesta injuria? Nulla vis ipsi intentanda est, nisi quis fortè privatus extraordinarium mandatum à Deo acceperit in casu inculpatæ tutela, id est, justæ & ordinatæ defensionis, cedunt juri nature cetera pacta, ut Subdito adversus Dominum grassatorem concessa est defensio sui corporis, conjugis, & liberorum verè & non sophisticè seu sycophanticè intellecta, ad depellendam injustam crudelitatem, si sit injuria notoria, i. e. atrox & manifesta: cum non aboleantur in Evangelio Leges nature, & videamus omnes bestias, imò & gallinas pro natis pugnare. Sic Helvetii justè excusserunt Austriacos, inusitatam crudelitatem exercentes. Et populus Judaicus justè expulit Antiochum, Idola coli mandantem, quæquam tunc ejus populi Dominus erat. Et David potuisset justè Saulem interficere, quia conjugem ejus alteri dederat: Ipsum ac Parentes ejus Patriam expulerat: Sacerdotes propter ipsum interfecerat, & magno exercitu eum persequeretur. Danhauer. f. 1261. R. Bucani verba itidem dolosè mutilata perversacq; esse, neq; aliâ utemur demonstratione, quam appositis ipsis Bucani verbis, iisq; quæ Danhauerus omisit, signo in margine addito expressis: *Nulla vis, inquit Bucanus, ipsi intentanda est, nisi quis fortè privatus extraordinarium mandatum à Deo acceperit, sed patienter potius ferenda injuria gravis, ut in casu ambiguo, & in negotiis politicis, quàm adversus Deum peccandum. Hic enim jubet Christus, ut obvertas & alteram maxillam, id est, ut hanc quoq; injuriam Magistratus tui toleres, propter Deum: & scias te propter acceptam injuriam non esse abjectum à Deo.**

Deinde

(23)

Deinde omnia prius experiri sapientes, quam armis decet. Contra inferiores Magistratus, imploranda est defensio superioris: & contra hunc quoque in libera Republica lege potius, quam vi agendum est. Pius denique Christus concedit fugam, qua declinent pericula imminencia. Verum ubi hac locum non habent, seu in casu inculpata tula, id est, justa & ordinata, defensionis, cedunt juri natura cetera pacta, ut Subdito adversus Dominum grassatorem concessa est defensio sui corporis, conjugis, & liberorum, vere, & non sophisticè seu sycophanticè injuria notoria, i. atrox & manifesta: cum non aboleantur in Evangelio Leges natura, & videamus omnes bestias, imò & gallinas, pronatis pugnare. Ideo Trajanus constituens Prefectum Pratorii, dedit ei enses cum his mandatis: Hoc ense utaris pro me, justa faciente: contra me utaris, si injusta fecero: videlicet in defensione proprii corporis, aut eorum quorum commendata est defensio. Sic Helvetii justè excusserunt Austriacos, inusitatam crudelitatem exercentes. Et populus Judaicus justè expulit Antiochum, Idola coli mandantem, quanquam tunc ejus populi Dominus erat. Et David potuisset justè Saulem interficere, quia conjugem ejus alteri dederat: ipsum ac parentes ejus patria expulerat: sacerdotes propter ipsum interfecerat: & magno exercitu eum persequeretur: Sed non usus est summo jure, sed Sauli ideo pepercit, imò Amalecitam illum jus sit interfici, qui jactabat se Saulem interfecisse: Ne populo Dei author esset exempli interficiendorum Regum, quod alii postea, per ambitionem imitarentur: Et reipsa voluit refutare calumniam qua gravabatur, quasi studio hoc semper egisset, ut per occasionem excuteret Dominum ex Regno: vitavit praterea scandalum, quia ceterae Gentes dixissent falsò gloriari Israelitas, divinitus sibi Reges dari, cum Regnum per seditionem & neces Dominorum rapi viderent. Illud etiam cogitans, Omnia licent, sed non omnia expe-

expe-

expediunt, 1. Cor. 6, 12. *Et satius est insidiatoris sui sacrosan-*
ctum habere caput. Et Tertullianus ait: Magis proprium
 esse Christianis occidi quam occidere. Cuncta distincti-
 one inter actus defendendi & resistendi, periculum item ex-
 tremum interitus totius Reipublicæ & privati alicujus; facul-
 tatis denique physicæ & moralis facile expedientur.

VI.

Seqvitur Polanus: Hujus hæc est sententia *L.X. Syntagm.*
c. 62. p. 4470. Ea vero Reipubl. tempora aliquando incidunt, ut fas
cuiq; sit publicæ salutis, si quid potest extra ordinem consulere: Hæc
illi vocant officia τὸ ἀνάγκη, velut è casu & reipubl. necessario
tempore pendentia. Sic cum nemini privato fas sit quenquam occi-
dere: in oppressa tamen Republ. si quis tyrannum (non titulo sed ex-
ercitio loquitur de Rege, qui in Tyrannum evasit, qui vere Tyran-
nus sit, non qui falsò talis judicetur, ut ex sententia Papæ & Jesui-
tarum) occideret, huic tanquam de Civitate bene merito, præmium
decernitur: Danhauer. f. 1262. R. Polanum præsupponere mani-
festò Regna pactionata adeoq; terminos habiles, sic enim ante-
cedentia ejus verba se habent: Si Rex seu Princeps Monarchiam
habeat limitatam, & adstrictam certis conditionibus in quas jura-
verit, seu quas se promisit servaturum, penes Status aut primores
Regni seu Principatus est, coercere Regis seu Principis tyrannidem
& immanitatem: Quæ Danhauerus itidem prætermittere haut
debuisset. II. In allegato autem loco intelligendum esse de
invasoribus Reipubl. & quidem quia tales sunt, non de Regi-
bus aut Principibus; Hosq; tanquam hostes interfici posse ne-
mo sanus in dubium vocat. Polanum loqui de Tyrannis ex-
ercitio Danhauerus gratis dicit.

VII.

Subscribit Pareus in *Comment. ad Rom. 13. in explic. dub. p.*
326. Subditi ajens non Privati, sed in Magistratu inferiori constitu-
ti, adversus Superiorem Magistratum se & rempublicam & Ecclesi-
am, seu veram religionem, etiam armis defendere Jure possunt: His
positis conditionibus. I. Cum superior Magistratus degenerat in Ty-
rannum. II. Aut ad manifestam idololatricam atq; blasphemias ipsas
 vel

vel subdito alio suæ fidei commissos, vult cogere. III. Cum ipsis a-
 trox infertur injuria. IV. Si aliter incolumes fortunis, vita & con-
 scientia esse non possunt. V. Ne prætextu Religionis aut Justitiæ sua
 querant. VI. Servata semper *ἰμενεία*, & moderamine inculpatae tu-
 telæ, juxta Leges. Danhauer. f. 1262. R. I. Danhauerum expoſtu-
 landi causam nullā habere cum easdem conditiones iisdemq;
 prope verbis Balduinus adducat in Rom. XIII. quæ verba su-
 pra adducta c. 1. §. 25. II. Vindicias pro Pareo jam ante LXX.
 Annos scripsisse Filium ejus *Job. Philippum Pareum*, quæ legun-
 tur in *Operibus Parei T. II. f. 308. & seqq.* Novoque proinde re-
 sponso opus non esse. Summa est: Pareum velle, *Principi Con-*
ventionali, sub pactis Capitulationis jurejurando in supremam
 potestatem admisso, & jura fundamentalia regni violanti, *solos*
Status eosq; non nisi simul omnes consentientes posse resistere per so-
 lam defensionem legitimam. Instat. Danhauerus: *Quid ab his*
conditionibus, (si aula Scholæ Paræanæ decreta sequi vellet, quod
non fore speramus) etiam Augustanæ Confessionis Principes perti-
mescere debeant, non omninò deliravit, cum monuit Adam. Conzen.
L. IX. Polit. c. 26. pag. 686. R. I. Testimonium hostis esse. II. Con-
zenium nihil dicere, quin idem communem causam pe-
tat: Nam id ipsum Luthero quoque exprobrat eod. L. IX. c. 17. §. 1.
seqq. Ipsum negare Cæsarem esse caput Reipublicæ Christianæ & de-
fensorem Evangelii aut fidei: Accensum esse autore Luthero, auctore
Muntzero bellum rusticorum: Lutherum atq; *asseclas intestina bella*
concitasse, ejusq; *& aliorum Novatorum consilio bellum factum esse*
Cæsari, insidias, prodiones A. 1544. 1545. 1546. Velletne vero Dan-
hauerus ideo a Luthero quoq; metuendum esse? Ipsi recentio-
res alieni non sunt a mente Parei. V. Hulsem. & Scherzer. Breviar.
Ext. c. XX. §. XXII. Quærenti enim an subditi vi armatâ resistere
possint principi Heterodoxiam molienti? Aut si Princeps Heterodoxus
fuerit, possint Orthodoxam Religionē siue introducere ipso invito, siue
introducā armis defendere? Respodent, de his non posse æqua-
liter pronunciarī quo ad omnes subditos: Additurque in no-
tis: Ratio enim decidendi sumatur necesse est à Constitutionibus, Fu-
ribus, pactis & Translationibus, Sanctionibus, Privilegiis, Consue-
D
tudi-

zudinibus cuiusvis Reipublicæ, aut, Provinciæ propriis, (quæ sanè diverse & multum inter se solent ac possunt esse discrepantes) ex quibus tanquam unicâ normâ constabit: Inter quos Majestas illa, & quantum de Majestate illâ disponendi circa publicum aut privatum religionis unius, vel plurium, exercitium, cuiq; statui sit distributum. Ubi jam ad species ire necesse non est: cum saltim subditis satis notæ sint provinciales ac domesticæ Constitutiones & inveteratæ consuetudines. Cuncta hæc n. quid aliud sunt, quam dari casus & conditiones posse, quibus Principi resisti queat.

IIX.

Verba Maccovii quæ subjicit se ipsa declarant, ipsomet Danhauero indice: *Quisquis fide in Christum caret, quales sunt reprobi, filius Dei non est, ac proinde non potest esse hæres, justus q; possessor bonorum terrenorum. Ergone addit, multi Reges, ethnici præsertim latrones sunt? Respondet Turcæ & alii infideles ac impii homines earum rerum usurpatores tantum sunt, quas civiliter alias legitime possident.* Danhauer. f. 1263. Si enim civiliter legitime possident, quid queritur Danhauerus? Quæstio hic est de Juribus Societatis humanæ ac vitæ civilis, non de Jure cœlesti.

IX.

Decreto consonat Praxis, scil. Puritanici Spiritus, cuius hoc esse proprium Rex Jacobus olim conquestus est in sua monitoria præfatione ad Imperatorem, Reges Principes, Danbauer. f. 1163. Resp. Regem Anabaptistis potissimum hanc dicam scripsisse, fatente ex Riveto & Maresio itidem Danh. Inst. Iisdem sociare Regem eos quoque, qui cum illius sectæ nomen respuant, eorum tamen moribus & erroribus affines sunt; quales sunt male sani, & vertiginosi Concionatores, eorum Discipuli; qui Magistratus contemptu, & somniorum suorum ac revelationum credulitate communem Anabaptistarum regulam sequuntur, propriam verò familiæ disciplinam in multis aliis emulantur. R. Nec his verbis Reformatos peti: Sectæ enim sicut errores in infinitum variari possunt, nec desinent sectæ esse, licet Anabaptistarum nomen haut admittant. Sed, qui illi? audiatur Joh. Lætus &c. Danbauer. c. l. R.

Au-

(27)

Audiendum potius ipsummet Regem Jacobum: Nam de huius verbis & sententia quæstio est: *Quod ad cæteros concionatores attinet, alios ve etiam quibus simplex illa politia nostræ Ecclesiæ Anglicanæ ceremoniis præfertur, quibus Episcopalis dignitas Papalem fastum redolet, & pileus quadratus & superpellitium, & id genus alia, papatus insignia videntur; hos (testor honorem meum) nunquam intellexi. Hic sensus ex meo libro colligendus erat, sine ulla religionis meæ aut remissione aut ruinâ. Negat ergo Reformatos intelligi, licet illi in hierarchiam Britannicam non consentiant.*

X.

Instat porrò Danhauer. *Principes Germaniæ hæc Reformatis imputare: Wolfgangus Palatinus, Dux Bavarie, Christophorus Dux Wirtenbergensis, & Carolus Marchio Brandenburgensis in Literis ad Fridericum III. Electorem Palatinum. 4. Maji an. 1563. inter cætera sic loquuntur: Zudem so ist Zwinglianismus und Calvinianismus, wie etliche exempla ausweisen/ein spiritus seditiosus, und wo er einbricht/die Oberhand/auch Magistrat haben will/daraus dann der ordentlichen Obrigkeit nicht allein von den Frembden/sondern auch von ihnen selbst Unterthanen der Unfriede zu besorgen ist. Relatione de mutat. relig. Bipontin. f. 216. quem citat D Gerb. Diss. theol. p. 1311. R. I. Quoad formalia clarius scripturum fuisse Danhauer. si Wolfgangum Ducem Bipontinum dixisset; Sic enim scribi moris est, hicque fuit qui una cum aliis Religioni à Friderico susceptæ se adversum præbuit. II. Literas illo tempore scriptas fuisse, quo consilia inter Protestantes agitata fuerunt de excluendo Friderico à communi A. C. societate. Itaque si argumenta quoque contra Zwinglianismum unde unde sumpta Theologi partis adversæ suppeditaverint, mirandi causa nulla est. III. Eundem Wolfgangum Bipontinum & Christophorum Wirtenbergicum, Theologorum impulsu, adversus pium Electorem non nihil concitatos fuisse, & ab initio causam egisse aliquanto vehementius, Quid mirum igitur si id scriptis quoque testati fuerit. IV. Non sufficit itaque principum literas produci; sed oportet una doceri, an à satis informatis profe-*

D 2

Etz,

Etæ, & an non' ad instantiam partis alicujus scriptæ? Quotus-
 quisq; n. ignorat, literas, rescripta, mandata principum sæpe per
 sub & obreptionem extrahi. Cæsari Carolo V. quoque perſua-
 sum Zwinglii & Anabaptistarum causam communem fuisse :
 ideone res ita se habuit? V. Effectu quoque caruisse ex actis co-
 mitiorum Augustanorum A. 66. constat. Testati enim fuerunt
 ordines se nullam Electorem Religionis gratia excludendi cau-
 sam habere, nemo quoque condemnavit, nemo pacis Religiosæ
 capacem non esse censuit. plur. vid. apud *Croc. Comm. de A. C.*
societate c. VIII, & XII.

XI.

D. Menz. in exeg. art. 16. p. 722. hæc addit: *Considerari hic
 debent historie Gallicanæ & Belgicæ annorum proximè elapsorum,
 quadraginta & amplius: In quibus admodum multa occurrent, quæ
 cum hoc articulo conciliari non possunt. Neque tantum de factis lo-
 quor, verum etiam de sententia, & judicio Calvinianorum Doctõrũ,
 facta illa approbantium, & defendentium.* Danhauer. f. 1265. Sed
 motuum Gallicorum culpam ipsi rerum conversioni, non Re-
 ligioni jam dudum tribuerunt Viri Magni nominis & Evan-
 gelico Lutheranæ Religionis. V. Dn. Puffendorf. *Introd.* De
 Belgicis respondet Voet. *vol. IV. de Magistr. §. 9.* *Quod in Bel-
 gio factum est, non per quoslibet promiscue aut per tumultum popu-
 larem, sed per Proceres, Ordines & Magistratus: quibus per Leges
 fundamentales pactiõnati principatus id competit. Exempla alio-
 rum Populorum & Rempublicarum in Christianismo, tum ante tem-
 pora Reformationis tum post, vidente id papatu, approbante, saltem
 non improbante Belgis hic præiverunt. Non est ergo, quod Theologi
 & emissarii papales seditiosis scriptis suis Belgarum conscientis re-
 bellionis & tumultuum crimina amplius intonent; magis quam prin-
 cipatibus & civitatibus Italiæ, Cantonibus Helvetiis, aliisque, qui à
 prioribus dominis in libertatem se vindicarunt.*

XII.

Cætera quæ sequuntur brevi responso expediri facile erit :
 Quæ enim subjicit de exemplis intestinis ea pro gratis dictis ha-
 bebuntur, donec quæ intelligat constiterit ; *Abstinemus nunc pa-
 ce Im.*

ce Imperii facta ab exemplis intestinis, spe ducti fore, ut palinodiam canant tristibus consiliorum eventibus commoti, f. 1265. Quæcunq; enim intellexerit, de iis ostensu non difficile erit, ea ab alia potius religione, quam à reformatis originem duxisse.

II. Spiritum Calvinisticum cum Papæo hic συνηθηζεν & fraterne conspirare f. 1216. calumnia est vel sola inspectione scriptorum nostrorum diluenda.

III. Grotium contra potestatem Magistratus inferioris in superiorem, quæ f. 1267. 1268, 1269. urget, rectè disserere, sed contra mentem omnium scriptorum jam dictum est c. 1. §. 2. Magistratus enim quos illi volunt Jure suo adhuc pollere sunt ordines regnorum limitatorum, sed quos Grotii rationes non tangunt.

IV. Parei rationes quas examinat f. 1269. 1270. 1271. 1272. præsupponunt, ut supra dictum, principem conventionalem, & quidem ex clausulis commissoriis : Quæ licet etiam effectu carere possint ob impedimentum externum, sufficit tamen in iis nullam esse repugnantiam in materia, nisi quis tot seculorum & gentium jura nulla & vana fuisse dicere velit.

V. Querela Salmasii f. 1272. non injusta est, sed nec de Ecclesia, nec de Republ. Anglicana, sed de paucis rebellibus & ne iis quidem Reformatis, sed colluvie variarum sectarum ; Nec majori vel Religioni vel Nationi præjudicio esse potest, quam factum Athaliæ Religioni aut Reipubl. Judaicæ, quæ surrexit & interfecit omne semen regium. II. Reg. XI. 1.

XII.

Constituèramus eodem pede pergere, & illatam Reformatis Dd. injuriam in materia de Jure capitaliter puniendi Hæreticos ostendere; Sed festinantes ipsoque tempore quo hæc proferimus circumscriptæ operæ Typographicæ nos filum aberrumpere jubent. Id tantum addimus, ipsomet Danhauero indice injuriam hanc sibi constare, Polani verba enim quæ allegat palam indicant non Hæreticos, qua tales intelligi, sed quietis Ecclesiasticæ & Civilis manifestos turbatores. v. f. 1277.

F I N I S.

D 8

COR.

COROLLARIA.

I.

Quis dicat vinum quod è vitibus nascitur esse immediate à Deo, quærit Danhauerus in *Qu.* de immediate Mediatione Majestatis à Deo, *Hodomor. Sp. Pap. f. 785. 786.* R. Quis negaret? Cum ipse Deus singulos hujusmodi actus in partibus benedictionis suæ numeret. *Dabo vobis pluvias temporibus suis &c. Apprehendet Messium, tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem. Levit. XXVI, 5. Omnia in te sperant, ut cibum eis des in tempore suo. Ps. CIV. 27.* Omnia igitur non tantum genericè, sed in individuo quoque immediate à Deo veniunt; sed tanquam à causa Efficiente Externa; Interim Causas internas seu proximas singula in natura rerum habent.

II.

Itaque nec putamus de immedietate causalitatis Summarum potestatum quenquam clarius locutum fuisse, quam Autores *Apologia A. Conf. ad Art. IIX. fin.* *Ut hac rerum natura, hi siderum motus, verè sunt ordinatio Dei; ita legitima politia verè sunt ordinatio Dei: & retinentur ac defenduntur à Deo adversus Diabolum.* Ita enim vere quod res est indicant: Deum Efficientem causam omnium Magistratum non tantum in genere, sed singulorum in individuo, omnium quoque modorum eorundem esse; Sed Externam: Internâ interim causâ in ratiociniis necessitatum & commodorum Humanorum eaque scuto hominum consensu remanente. Sic Deus est causa immediata viroris in gramine non in genere sed cujuslibet in individuo; Et tamen idem viror in ipso

ipso

(31)

ipso gramine causam suam formalem & internam habet.

III.

Jus Regium *l. Sam. IX.* non est Morale, sed voluntarium. Alias sequeretur omnem formam regiminis politici, quæ non sit regia & Monarchica, directè adversari Juri Divino, & consequenter esse in foro conscientiae illicitam tum constituentibus, tum capeffentibus, tum defendentibus eandem. *Voet. Vol. IV. Disp. de Jure Reg. §. 1.*

IV.

Siquis etiam Jus illud Regium non de vero Jure, sed de eo quod facti est, accipit, is non ideò injurius est in summa & absoluta Principum imperia: quia Jus illud fuit speciale, quo populus Judaicus, cui lex illa posita est & in quem talis regiminis forma introducta, tenebatur; quod alios proinde populos & reges in forma & specie non magis obligat, quam reliquæ Leges forenses Mosaicæ. *Voet. ib.*

V.

Jus absolutum in subditos Principibus non pacti-
onatis competere verum est; sed solis competere dici
nequit; competit enim unicuiq; reipubl. quamcunq;
formam regiminis habeat: Quia est summum adeoq;
omni reipubl. & semper competit, quippe quæ summa
est, & ultra quam nihil datur.

VI.

Injuriosa assertio est quæ legitur in *Breviar. Hülsem. Extens. f. 1552. fin.* Omnes Calvinianos docere partitionem subditorum in relatione ad subjectum imperans, aut rationem imperandi esse arbitrariam.

VII. Cato

VII.

Cato recte censuit Cæsarem tollendum esse, nō. quamdiu inuasor Reip. erat; Sed Neronem interfici fas non erat, quia pessimus quidem, attamen legitimus Princeps erat.

VIII.

Nec Commodi cadaver uncis trahi potuit, mortui enim manent in eo Statu in quo decedunt.



Coll. diss. A. 7, misc. 59